



PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# Communicationes

VOL. XLIII • N. 2

2011

## Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

### COETUS STUDII « DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA »

Nota quoad commercium epistularum inter Secretariam Status et Pontificiam Commissionem CIC recognoscendo circa promulgationem Schematis « De Procedura Administrativa »

*Praeter tres epistulas in commentario « Communicationes » XLII (2010), pagg. 389-395 iam publici iuris factas, in nostro archivio extant asservatae etiam multae aliae litterae Secretariae Status et Praesidis Commissionis CIC, ultro citro-que datae ac receptae, Schema « De Procedura Administrativa » respicientes.*

*Quoad, vero, ad litteras in archivio asservatas spectat, animadvertisendum est, huius voluminis oeconomia, ut dicitur, attenta necnon prae oculis habito criterio, quod nobis est res magni momenti, nostros humanissimos lectores quam maxime edocendi, eas, ordine chronologico digestas ac breviter et ad summam rerum expositas, hic publici iuris facere placuisse.*

*Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, per epistulam die 8 mensis novembris 1973 scriptam curavit Schema de procedura administrativa, in forma « Motu Proprio » propositum ad Ecclesiam latinam tantummodo pertinens, Secretariae Status mittendum, ad definitivam petendam adprobationem necnon promulgationem.*

*Secretaria Status Em.mum Cardinalem Periclem Felici die 22 mensis ianuarii 1974 certiores fecit eiusmodi Schema in Summi Pontificis notitiam perlatum esse, sed adiunxit etiam videri opportunum esse Schema transmissum ulteriori considerationi studioque subiciendum esse ut natura et fines costituendorum tribunalium administrativorum relate ad tribunalia ordinaria melius clarescerent et definirentur, quia timebatur ne Pastorum activitas imponendo quasdam limitaciones ac formalitates incommodo ac impedimento improprie affici posset.*

*Praterea, Secretaria Status opportunum censebat potestates quoad proceduram et organizationem tribunalium administrativorum Conferentiis episcopalibus tributas perpendendas esse in maiore necnon latiore contextu qui ad Conferentiarum naturam et earumque relationes cum Sancta Sede et singulis Episcopis attenderet.*

*Pontifica Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo per litteras die 26 mensis ianuarii 1974 missas respondit non obstantibus salebrosa ac perdifficili materia necnon rei novitate ad ius administrativum pertinentibus, hoc congruere cum exigentiis, longe lateque diffusis ac perceptis, defensionis effectivae iurium subiectivo-*

*rum. Commissio haec animadvertisit a) rem inceptam eo spectare ut instrumenta defensionis praeberentur ac suppeditarentur, cum potestatis usus non recte adhiberetur; b) necessitatem cognoscendi penitus ac clarius partes a Conferentiis episcopalibus fundendas non impedire quin leges ad experimentum ferri possent quae eis potestates tribuerent ut exigentiis proximis ac urgentibus necessitatibus provideretur; c) finem constituendorum tribunalium administrativorum a fine tribunalium ordinariorum diversum esse eorumque constitutionem specificis indicationibus, a Concilio Vaticano II necnon a Synodo Episcoporum datis, respondere et sequi idem iter quod iam in instituenda «Sectione Altera» Signaturae Apostolicae iam peractum erat; d) certis nuntiis comperiri, denique, quaedam localia incepta ac conatus quoad contentiosum administrativum iam exoriri ac fieri quae increbescere necnon propagari possent, nisi ad ferendam legislationem universalem de hac re procederetur.*

*Per epistulam die 4 mensis martii 1975 subsequenter missam Pontificia Commissio confirmavit: a) tribunal administrativum tantummodo de legitimitate quorundam decretorum Episcopi iudicare, cum sic ei adiumento esset ad decreta provide et prudenter ferenda ita ut eodem tempore ac modo evitaretur recursus hierarchicus qui contra etiam de merito et non solum de legitimitate agere posset; b) nihil esse negotii quod iudices administrativi Episcopi non essent, propterea quod hoc iam fiebat in processibus iudicialibus apud Rotam Romanam celebratis et hoc insuper de quaestionibus meritum causae respicientibus; c) videri hoc plurimi recursibus ansam non praebitum esse, sive quia concretae delimitationes in can. 25 schematis statutae hoc impidirent, sive quia parati ac instructi iudices ad «retundendam petulantiam» et ad facilius ac rectius exercendum munus regendi Episcoporum efficaciter conferre possent.*

*Observavit, praeterea, sollicitare ac efflagitare ut Schema de procedura administrativa examini Congregationis pro Doctrina Fidei quoad rationem doctrinalem ecclesiologicam subiceretur opportunum esse non videri, cum Congregatio consulta iam esset et emendationes ab ea propositae in Schema receptae essent.*

*Secretaria Status, per litteras die 13 februarii 1975 missas, certiorum fecit Pontificiam Commissionem, propter multiplices implicationes, debitas innovationibus in Schemate praevisis, sibi videri opportunum ulterius et perattentum examen a Congregatione pro Doctrina Fidei peragendum esse.*

*Annis 1975-1978, Secretaria Status, quamvis sollicitata esset per litteras die 29 mensis aprilis 1978 missas, non communicavit ulteriores decisiones captas de promulgando Motu Proprio normas procedurae administrativaे continente, volens ita haec intelligi normas elaboratas in novum Codicem iuris canonici proximae promulgationis inserendas esse.*

*Quare, quaestio ac disceptatio de procedura administrativa transmissa est ad Coetum de processibus qui examini subiecit textum Schematis in Sessione VII Seriei Alterae cuius processus verbalis hic subinde publici iuris fit.*